

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Jakob Schudt

**Joh. Jacobi Schudt, Gymnasii, quod Francofurti ad Mœnum est, Con-Rectoris  
Epistola De Memorabilibus Seculi XVII. in Rebus Judæorum; Nec non de Vita  
Rebusque præclarè gestis Jephæ, fortissimi Hebræorum Imperatoris : Ad  
Reverend. & Clarissim. Virum P. Honorium à Khobalt, Presbyterum  
Benedectinum & p. t. Bibliothecarium in Monsee, Superior. Austriæ**

Francofurti ad Mœnum: [Verlag nicht ermittelbar], MDCCI.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn889765456>

Druck    Freier  Zugang



CIc-571<sup>2</sup>



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn889765456/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn889765456/phys_0002)







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn889765456/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn889765456/phys_0004)



JOH. JACOBI SCHUDT,  
Gymnasii, quod Francofurti ad Mœnum est,  
Con-Rectoris

# EPISTOLA

De

*Memorabilibus Seculi XVII. in Rebus Iudeorum;*  
Nec non de

Vita Rebusque præclarè gestis Jephþæ,  
fortissimi Hebræorum Imperatoris;

Ad

*Reverend. & Clarissim. Virum*

P. HONORIUM à KHOBALT,  
Presbyterum Benedictinum & p.t. Bibliothecarium  
in Monsee, Superior. Austriae.



34

*Francofurti ad Mœnum,*

A. O. R. MDCCI.

C 1 C - 5713

JOH. JACOBIS SPHD

Carissimi doct. et dico scopis in M. Comptis

Cou. Regione

EPISTOLAE

D.

ad Eusebium Episcopum Rhenanum

et alios

ad L. Flaccium Proculianum

Ex Bibliotheca

Academica

Rostochiensis

LIBER

Bibliothecum Beatusium in quo libri

in Monasterio Subiaco Aventino



ANNO MDCC



בָּרוּךְ

Rever. Patri

# HONORIO à KHOBALT JOH. JACOBUS SCHUDT

S. P. D.



Uod mercatoribus frequens & usitatum cernimus, ut de mercibus, illarum valore, emendi vendendique copia ac pretio literis inter se agant, hujusque certiores redditi, majori cum lucro & fœnore commercia sua tractent; Id vitis quoque in literarum otio ætatem consumentibus usu receptum, qui de multo nobiliori merce, sapientia & bonarum artium studio, solliciti, non auri argentivé lucrum, de quo alii tantopere digladiantur, idque unice expetunt, captant, id, cum Themistocle, servili ingenio convenire censentes: altiora sunt quæ sapiunt, qui in veri investigatione versantur, animi inquirunt divitias, quem sapientia & bonis literis ita excolunt, ut Ecclesiæ Dei, Reipublicæ, Orbi literato, sibi suisque præsidio, commodo atque ornamento esse possint: Hinc insatiable illa literarum aviditas, inexhaustum & cum sanitatis ac virium dispendio sæpius conjunctum bonarum artium studium, quod ne in extrema quidem senectute deficit, hinc lucubrations & tempora somni arctiora quam noſſis, hinc larga æris in libros librorumque

A 2

autores

autores profusio, hinc libris quasi clavis affixos cernimus Musarum amatores ac procos, qui conviviis lætioribus se subducunt, suavissimis amicorum confabulationibus se subtrahunt, cœtus vitant, nec in celebritate versari cupiunt, honores quandoque & oblatas dignitates respuunt, ut honestum literarum otium se cantibus, deliciis his immorari, quin & immorari, liceat. Hinc & literarum inter Literatos oriuntur commercia, quibus in aliorum studia inquirunt & meditationes suas invicem communicant; tanto stimulo sapientiae studium agit, tam validè hominum animos trahit, ut ignotorum quoque amicitiam aucupari, literisque humanissimis illos salutare sustineant, nec locorum, quibus dissident, intervalla, nec nationum discrimina, nec diversæ, quas de Deo rebusque divinis foveant, opiniones, moram huic commercio eruditio injicere, aut jura amicitiae inter Literatos, qui se non religione aut gente, sed animi sinceritate & literis metiuntur, intervertere aut turbare possint.

Hæc in tui potissimum commendationem, Reverende Pater, præfati fas duxi, qui bonis non tantum literis deleetaris, sed Philologiæ quoque, quod inter fidei tuæ socios rarum, & SS. Dei Linguarum, Hebraicæ & Græcæ, amore captiis industriè illas excolis, quod literæ tuæ, vario eruditionis genere refertæ, nec exiguum Philologiæ Sacrae & jam memoratarum linguarum peritiam indicantes, abunde docent; unde & notitia tibi cum celeberrimis nostræ ætatis Philologis & arcta intercedit amicitia, qui te colunt diliguntque. Quod vero & me illis accensere, & hominem nonnisi ex scriptis & solo tibi nomine notum literis humanissimis provocare, meam ambire amicitiam, tuæque jura suaviter offerre dignatus sis, id non meritis meis, qui meo me modulo metior, sed amplissimo tuo affectui & insigni humanitati tribuo; Litera, ut in proverbio est, non erubescit, quod rubore tamen perfundat, tuis literis doctus sum; Bone Deus! agnoscis verba tua, que præclara, clara & rara non in Tuo Trifolio! qua methodo non contextum! qua rerum Philologicarum varietate, & amoenissimorum Autorum memoria non conscriptum! mentione, si magis literatum ab aliquot annis vidi: *Yeuð ouai, si majora admi-*

adminicula meorum Ebraicorum studiorum mihi , admodum tyrunculo,  
alitus in hac re liber dedit ; testaris insuetam lætitiam ob Historiam  
meam Judaicam , quam cum Deliciis meis Hebreo Philologicis in Nun-  
dinis Salisburgensibus tibi comparasti ; Ob hæc , & adjectum lau-  
dum ac elogiorum cumulum , vix mihi destinatas literas tuas cre-  
didisse , nisi nomen meum in fronte præ se tulissent.

Inhumanum fuisset , viro docto , amicè provocantι , & mei stu-  
dium sincerè profitenti , non eadem comitate respondisse ; unde ,  
cum rescriberem , jucundum illud inter nos commercium philolo-  
gicum ortum & sanctè hoc usq[ue] conservatum est ; Ad illud verò ,  
quod labores meos & quæ ex Philologicis jam tractem , cognoscen-  
di te avidissimum dicebas , breviter , pro temporis ratione , re-  
scripsi ; de Memorabilibus Seculi XVII. in Rebus Judæorum &  
Historia Jephætæ , in quibus hac hyeme excolendis & tradendis ver-  
sabar , plura me imposterum perscripturum pollicitus ; hanc itaque ,  
quam dedi , fidem ut liberem , neque , pro jure tam familiaris usus  
& amicitiæ , desiderio tuo ulterius deesse videar , hac te epi-  
stola , typis expressa , ut describendi onere & fastidio supersederem ,  
salutare & ea , quorum iam mentionem injeci , uberioris exponere  
B. cum D. constitui .

Ex quo tempore Hebraicæ Linguæ professio in illustri nostro  
Gymnasio publica Superiorum autoritate mihi demandata est , id  
solerter egi , ut tyrones facili methodo S. hujus Linguæ σοιχεῖα  
& fundamenta ponerent , facile enim , quod fundamento caret ,  
corruit ædificium , Grammaticæ itaque præcepta magna industria  
inculco , eaque exemplis perspicuis illustro , relectis superfluis &  
difficilioribus , quæ teneram juvenum ætatem fatigare & non rarò  
planè ab his studiis deterrete solent , quæ ego in atriori judicio &  
propriæ ex codicis Hebr. lectione natæ , experientiæ reservo ; in ana-  
lysi verò Hebraicarum vocum nihil à tyronibus exigo , cuius re-  
sponsum non ex ipsis præceptis Grammaticis fluat , nunquam enim  
probati mihi sunt , qui omnem Grammaticæ Hebr. institutionem  
proscribentes ex solo usu , cum Judæis , & codicis Hebr. lectione ,

Sanctæ hujus Linguae notitiam comparandam judicant, contra quos fuisus disputavi in *Deliciis Hebr. Philol.* p. 216. seq. Grammaticæ enim cognitionem negligere velle ex quorundam placito, est naevum permittere solis ventis, non curata pyxide nautica, judicio magni Philologi D. Mart. Geieri in Appendix ad *Dissertat. de Morte Messia* §. 8. satis Grammatices necessitatem inculcavit Frid. Schererzius L. I. Animadvers. Sacr. Animadv. 4. p. 80. ff. barbara itaque & asino, si per naturam loqui posset, quam homine dignior vox est Joh. Dul-lardi: *Quanto eris melior Grammaticus, tanto pejor eris Theologus!* teste Lud. Vive L. 2. de causis Corrupt. Art. p. 73. Nec illis tamen patrocinamur, qui semper in minutis Grammaticis hærent, ad tex-tum biblicum nunquam accedentes, cum *Kamez* & *Kybbuz* per to-tam vitam conflictantur, aut infinita præceptorum copia teneros discentium animos obrunt; ut in omnibus, ita & hic, modus est servandus, utroque extremonrum vitato.

Cum vero in Historicis Libris, facilitori stylo conscriptis, facilius sit Tyronibus hujus Linguae progredi, IV. priora Genes. capita, quæ sextam ferè & decimam Linguae partem complectuntur, ea, quam *Trifolium* meum exhibet, methodo tracto. Qui haec ratione gnавiter subacti & cibi solidioris jam capaces sunt, in Lectionibus Publicis ad Philologiam degustandam admittuntur, cuius dulcedine inescati, magni hæc studia facere discunt, quæ copia satiant, varie-tate delectant & Theologiae cultoribus maximè prosunt; huic vero Philologiae Sacrae studio peculiaris, quavis hebdomade, hora desti-nata est, quâ præterita hyeme tradidi *MEMORABILIA SECULI XVII. in REBUS JUDÆORUM*, quæ XI. Thesibus complexus, cuivis thesi *Questionem* præmisi, quâ uberioris thesis ipsa illustrabatur, utramque vero rationibus & exemplis per discursum Auditori-bus fuisus declaravi, ut rerum varietate & exemplorum jucunditate non delectarentur minus quam erudirentur; nec ingrata ipsis aut sine fructu hæc fuisse, tum frequens, pro numero illorum, con-fluxus, cum & illi, qui vel Juris vel Medicinæ studio consecrati, Lin-guae Hebr. operam suam non addixerunt, adessent; tum attenta omnium auscultatio, fidem fecit.

*Theses*

Theſei verò cum *Quæſtioneſ* præmissis hæc erant. *Theſ. I.* Ju-  
dæi hoc ſeculo quibusdam locis recepti ſunt. *Quæſtio.* An Judæi  
in Rēpubl. urbem aut pagum ſint recipiendi? *II.* Judæi magnifi-  
cas Synagogas hoc ſeculo exſtruere. *Quæſtio.* An Judæorum Sy-  
nagogæ inter Christianos ſint tolerandæ? *III.* Judæi hoc ſeculo  
variis locis pulsi & in exilium acti ſunt. *Quæſtio.* Cur Deus tot  
exiliis Judæos affligi patiatur? *IV.* Judæi hoc ſeculo ſceptrum  
regium cum regno in Habessinia amiferunt. *Quæſtio.* An Judæi  
poft deſtructionem Templi Hierosolym. uſpiam ſuo jure fuerint uſi,  
ac Regem Regnumque habuerint? *Conf. Hist. Judaic. L. 3. C. 8.*  
p. 442. &c. *V.* Judæi ab aliquoſ Pseudo-Meſſiis hoc ſeculo deluſi  
ſunt. *Quæſt.* Qualem Judæi Meſſiam expectent? *VI.* Ex Judæis  
multi hoc ſeculo fidem Christianam amplexi ſunt. *Quæſtio.* An &  
qualis Judæorum ſperanda ſit conveſtio? *VII.* Relapſi ſunt hoc  
ſeculo nonnulli ad Judæos, qui Christo nomen dederant. *Quæſtio.*  
Num Judæis conveſtis fides ulla ſit habenda? *VIII.* Ex Christianis  
nonnulli hoc ſeculo Judaismum profeffi ſunt. *Quæſtio.* Qui  
fiat, quod, abjurata Christi fide, Judaica ſacra nonnulli amplectan-  
tur? *IX.* Judæi hoc ſeculo non paucos ex ſuis habuerunt viros  
doctos. *Quæſtio.* Quid Judæi ſentiant de ſtudiis & eruditione  
Christianorum? *X.* Ex Christianis hoc ſeculo multi viri docti ex  
inſtituto Judæorum res tradiderunt & refutarunt. *Quæſt.* Qua  
lingua contra Judæos ſit ſcribendum? *XI.* Judæis nonnullis hec  
Seculo à Magnatibus dignitates cum honoribus ſunt collatæ.  
*Quæſt.* An conſultum ſit Magnatibus, ad dignitates & munera  
publica Judæos provehere?

Hæc, Reverende Pater, ſumma ſunt capita eorum, quaꝝ in  
Lectionibus Publicis ex Philologia mihi tractata; jam & alterum  
accipe, de quo ultimæ meæ literæ loquebantur, Jephtham bellum  
parare & aciem in Muſeo meo inſtruere, ut vere inſtantे in publi-  
cum prodite poſſit, ſcilicet J E P H T Æ, fortissimi Hebræo-  
rum Imperatoris & Principis *Vitam & Res præclarè geſtas* collegi  
ac Commentario illuſtravi, quem *FATO, VOTO, FACTO* in-  
ſignem

signem fuisse, distincto in Tres Libros Opere, ostendo, eumque ut exemplar prudentiae civilis & peritiae rei militaris sisto; ubique vero optimi viri vindicem ago, tot enim undique adversariorum telis petitur, ut clypeo, quem probris objiciat, egere videatur.

Vindicamus natales Jephæ, illorumque fordes abstergimus, non metetricis ipsum aut adulteræ, sed concubinæ filium fuisse demonstrantes; infamiam latrociniorum, quæ in exilio exercuisse arguitur, abstulimus; temeritatem quidem & imprudentem voti præcipitantiam agnoscimus, tantam tamen impietatem, rerumque ignorantiam, non concedimus, quasi absolute omne primum occurrēns immolandum Deo promiserit, multo minus ipsum detestabili θυγατροῖς seu filiæ immolationis criminē se polluisse affirmamus; voti nuncupationēm non quidem impulsū Spiritus Sancti, ejusque ab Apostolo commendatæ fidei adscribimus, ob fidem tamen & Spiritus Sancti instinctum negamus, quod contra exp̄sum Dei interdictum θεοφούσιας criminē se contaminaverit; Jephæ nobis vir est, non rerum divinarum & morum gentis suæ ignarus, non ambitiosus aut contumax, sed pius, fide magna præditus, filiæ amans, rerum divinarum & humanarum peritissimus, cui literarum studium & bonarum artium ac scientiarum doctrina tanta, ut mirabile videatur, unde tam insignis militiæ scientia homini inter literas quasi nato & educato, cum ex utroque Cæsar libris gladium, tanquam alter quidam Xenophon aut Fl. Josephus, junxerit, fortissimus enim miles & strenuus Imperator fuit, verè *Magnus*, ut Spiritus Sancti elogio בָּרוּךְ רֹבֶר Fortis robore seu insignis heros audiat Jud. XI, i. & à Samuele inter fortissimos Israëlis Duces referatur i. Sam. XII, ii. unico verbo, Princeps optimus extitit.

Verūm ordine & distinetius totius Operis seriem tibi exponere non gravabor. Prolegomena tribus Sectionibus I. Institutione. II. Ratione administrandi & forma regiminis. III. Miraculosa protectione, Rempublicam Hebraorum Θεοκρατίαν, Deumque ipsum summum ejus caput fuisse ostendunt. In Rebus Jephæ expli-candis,

candidis, cuivis Libro textum, ex Historia Judicum ~~na~~<sup>na</sup> ~~ane~~<sup>ne</sup> ~~l~~<sup>l</sup> ex Hebræo fonte translatum, pro fundamento substerno, idque in progressu sollicitè ago, ne textus exegesin & vocum insigniorum, quæ rem illustrant, analysin atque emphasis negligam.

Liber I. *FATUM*, quo duriori in juventute usus est Jephta, tradit; Genealogia hujus herois & nobile Majorum genus, quod ex tribu Manasse deductum prænobili Gileaditarum familiæ debuit, latiora, quam re ipsa expertus, fata promittere videbantur, cum & patre præclaro, divite & inter suos conspicuo progenitus esset; generis enim nobilitas non inter postrema fortunæ bona collocanda, cum faciliorem ad honores viam & ad Magnates aditum pandat, nativitatisque beneficio tribuat, quod multo labore & sanguine aliis acquirendum; non omni tamen labore Jephæ natales carere, sordes materni generis innuunt, quas sollicitè abstergimus, nec tantas esse, quantas rei minus gnari illas fingunt, monstramus, utrique enim, & matri & filio, injuriam faciunt, qui *Spurium* ipsum & illegitimo thero natum fuisse pronuntiant, cum nullibi textus ipsum *בָּנֵה זוֹנָה* *Spurium* vocet, nec Ephraimitæ obrectatores, qui leviora ipsi criminis dabant, hanc generis illi labem exprobrent *Judic.* 12, 1. scilicet *בָּנְאֵשׁ זוֹנָה* *Judic.* 11, 1. appellatur, *filius mulieris Sonah*, sed *זוֹנָה* *Sonah* non præcisè & semper meretricem, sed quamcunque tenuioris sortis & fortunæ fœminam, castam etiam & pudicam, notat, sic quæ cauponam exercebat, Rahab, *רָחָב* dicitur *Jos.* II, 1. quam meretricem fuisse multi dicunt, nemo probat; sic lotrices, quæ Achabie currunt à sanguine purgabant, *רָחָב* dicuntur *1. Reg.* 22, 38. quis verò sibi persuadebit, Jephæ parentem, virum inter suos clarissimum, spurium suum domi palam aluisse, cuius conspectus quotidiana turpis libidinis exprobatio fuisset? ipseque Dei Spiritus *רָוחַב הַשְׁמָךְ* explicat vers. 2. per *אֶחָדָה רָחָב* mulierem alienam, hoc enim utuntur prætextu fratres ipsum excludendi ab hereditate, quod filius sit mulieris alienæ vers. 2. scilicet concu-

B

concu-

concubinæ & ex alia tribu ortæ, quapropter Jephtha quidem in bona patris immobilia, quæ à tribu alienanda non erant, succedere hanc potuit, quem tamen contra jus & æquum ab hereditate planè exclusum, & majori adhuc injuria ex familia & domo paterna, publica Magistratus autoritate, quod versus 7. cum aliis circumstantiis innuit, ejectum, ex Judæorum placitis & æquitate naturali evictum damus; solum enim vertere miser & omnium rerum indigus in exilium abire cogebatur juvenis optimus, quæ tamen contumelia cum non fregit sed erexit, nec exilio minor factus, quo virtus ejus acuebatur, ut expeditionibus bellicis clariū eluceret; infame enim *latrocinandi* studium, quod Vulgatus Interpres Latinus ipsi affingit, textus Hebr. planè ignorat, idque procul à viro tam honesto absuit, ut ipsum etiam Cornelium à Lapide hīc Vulgatae Versionis pudeat, cui *Σοφᾶς Φαρισαῖος* subvenire, sed frustra laborat, in Comment. in Jud. fol. 152. b. nec latronum Principem insigni *בָּנֵי חַדְרִים* fortis herois elogio Spiritum S. mactaturum fuisse crediderim; expeditiones itaque cum militibus suis Jephtha suscepit contra hostes populi DEI, præsertim vicinos & graves Hebræis Ammonitas, quibus privatæ pariter & publicæ Saluti consuluit, quem David, eodem exilio & egestatis fato pressus, simili vitæ genere æmulatus legitur, i. Sam. XXII, i. 2. Cap. XXVII, 8. &c.

In electione ad Principatum, tum occasionem, bellum Israëli ab Ammonitis illatum, tum generosum Jephthæ animum, privatas injurias Reip. condonantem, miramur, cuius vocationem mediaram quidem & per homines, divinam tamen fuisse δωδεκάτην  
ex i. Sam. XII, ii. demonstramus; Electionem inaugratio & novi Principis res gestæ excipiunt, quibus circa initia Imperii timentibus popularibus metum demsit, omnesque spe implevit, ita enim moderate multa de se pollicitus est, ut appareret, plura cum experimentis reservare; Non primos Imperii.

perii dies conviviis, iudis aut voluptatibus transegit, sed missis ad Ammonitarum Regem Legatis causam belli, sibi subditisque prius illati quam indicti, sciscitatus est, ut verò ex responso, quod Legati retulere, intellexit, Ammonitarum Tyrannum urbes & terras, Israëli vi creptas, & hoc usque injuste usurpatas, hoc sibi titulo vindicare velle, quod Israël, ex Egypto ascendens, has sibi terras ademerit, quibus restitutis nihil sibi pace optabilius esse; pacemque in ore, arma in manibus ipsum habere sentiens Jephtha, injusti belli famam sollicitè à se amolitus iterata legatione bellum deprecatur, vano & inani conatu Regem obsoleta jura revocare velle docens, qua occasione magna prudentia civilis Jephtham non minus pacis quam belli artium peritum manifestavit; *Historicum* agit, ex antiquis gentis suæ monumentis exitum Israëlitarum ex Egypto & itinera emensa comminiscitur, quasque gentes aggressi, quas intactas reliquerint, declarat, & cum ad Ammonitarum aut Moabitarum terras non pervenerint Israëlitæ, sed Dei iussu Deut. 11, q. 19. circuitu ipsas evitaverint, nihil certè eripere ipsis potuisse demonstrat. *Juris Consultum* se exhibet Jephtha, urget enim jus belli & gentium, quo terras, justo bello hosti creptas, nobis vindicamus; Israëlitæ terras istas, de quibus lis erat, Amorrhæis eripuisse docet Jephtha, qui Ammonitis ipsis prius abstulerant, cum Amorrhæis itaque non cum Israëlitæ Regi Ammonitarum litigandum fuisse; Israëlitæ injusto bello à Sihone Amorrhæorum Rege lassitos, ipso cæso terras ejus occupasse, atque victori jure cessisse, quæ succumbentium fuerant, qui, quo jure sua acquisiverant, victori non esse demonstrandum; hoc belli & gentium jus ex Scriptura & Grotio uberior ex- plicamus.

Addit *Balacki*, Moabitarum Regis, exemplum, cui, tempore exitus ex Egypto viventi, Amorrhæi has terras eripuerant, qui tamen, cum victis Amorrhæis Israël illas occuparet, nihil juris causatus est, aut ab Israële illas repetit, agnoscens, se vieto, jus suum

412

exspirasse & in victores Amorrhæos, atque cum his ad Israëlitas, translatum esse; instat graviter jure *prescriptionis*, quod Israël, per trecentos annos tranquilla possessione frutus, post tamen diuturnum silentium his terris nullo jure deturbari possit.

*Theologi* vices suscipit, explicans *jus donationis divinae*, Deum has terras Israëli donasse Jud. XI, 21. 22. quod fortius ut stringat, *καὶ ἀιθεωπὸν* argumentatur, cùm Ammonitæ justo se titulo & optimo jure tenere putent, quæ Dei sui *Kemosh* beneficio se accepisse persuasum habent; quidni ergo Israëlitæ justè possiderent terras, quas à *הָרָה* cœl-terræque Domino, ac summo omnium rerum arbitro, liberali donatione acceperant? vers. 23. Denique *Dei vindictam*, injusti belli auctori comminatur, quod in simili quoque casu Romanos fecisse exemplis docemus;

*Political Prudentem* Jephtha se sistit, dum omnia prius experiri quam armis cum hoste concurrere maluit, stultum ratus, bellum admittere quod verbis repelli potest, non ignarus quot miseras & quantas calamitates illud secum trahat, cuius exitus anceps, pericula certa, ut verè aureo hamo pifcentur, qui bellum temerè aliis inferunt.

Verum enim verò ut Jephtha noster frustra se argumentis cum armato disceptare, nec verbis inter strictos gladios locum esse vidit, *fertis militis & strenui Duce* personam induit, damnata enim spe pacis animum ad arma convertit, hostesque occupans, prudenti consilio, belli sedem in hostilem terram transtulit Jud. II, 29. 32. seq. duplicitis exercitus alendi onus ipsis hac ratione imponens; periculi verò magnitudine non secus quam par erat commotus, ut cœlum sibi conciliaret ac propitium redderet, militare nuncupavit votum, quod & Gentiles, aliquosque belli Duces quandoque fecisse, exemplis illustramus.

Liber II. *VOTUM* Jephthæ expendens, occasionem vovendi  
aperit,

aperit , nec Spiritus Sanct. impulsu ipsum ad vovendum actum fuisse propugnat , sed ad pugnandum spiritu fortitudinis instru-  
ctum , cùm voti nuncupatio impulsum illum præcesserit ; voti de-  
inde argumentum & sensus explicatur , quodque generaliter de  
quocunque , sive casu sive destinato consilio , obviam primùm re-  
duci victori prodeunte , sive homine sive bruto , conceptum fue-  
rit , ex ipsis textus visceribus eruitur , וְעַל יְתִיר וְהַלְלוּ יְהוָה  
non copulativè per & sed disjunctivè per aut reddimus , erit Do-  
mini (ejus cultui consecratum) AUT (si nempe aptum fuerit) offe-  
ram illud in holocaustum , v. 31. canem enim aut aliud animal im-  
mundum in holocaustum DEO offerre non licuisset , ut nec ho-  
minem .

Voti verò damnatus Jephta , reportata ab hostibus victoria , inopinato filiæ occursu in maximos incidit luctus , illa enim , voti paterni ignara , animo gratulandi , puellarum sociarum choro stipata , cum tympanis & choreis patri victori obviam procedens , triste voti objectum facta , ejulatum & querulas voces parenti expressit vers. 35. atque diem lætitiae destinatum , fœdum luctu fecit ; Jephæ quoque errorem notamus , in primo affectuum impetu , qui vehe-  
mentissimus esse , & rationis usum impedire solet , votum irrevo-  
cabile judicantis , quod dissolvi posuisse ex Levit. 27, 2. &c. liquet , מִזְבֵּחַ enim seu anathema Levit. 27, 28. 29. quod Capillus vult , huc non pertinere , passim , præsertim ultimo Libri II. capite de-  
monstramus . Causam tanti luctus ipse Dei Spiritus indicat v. 34.  
35. quod unica patris filia ( quam Seilam Philo Byblius appellat ) &  
familiæ propagandæ spes temerario hoc voto intercepta fuerit . Sed  
quo gravior parentis ob votum , temerè conceptum , luctus , eò  
major filiæ extitit obœdientia , Isaaci obsequio comparanda , cum  
enim contra imprudens genitoris votum excipere posset , pietate  
in patriam , cui victoriam gratulabatur , & reverentia erga patrem ,  
non invita voti executionem sustinuit , hoc unicum patrem depre-  
cata , ut virginitatem duobus mensibus cum sociis puellis in monta-

nis regionibus deplorare & mundo ultimum vale dicere liceret, quo impetrato, exacto duorum mensium intervallo, cum fuga sibi consulere posset, (Alphonsi Tostati enim custodes datos explosimus) sponte rediit, plus quam muliebri constantia voti executionem subitura, quae res Dei populo digna visa, ut ejus memoria posteris quoque commendaretur, unde filia Israëliticae quotannis quatriuum consolanda Jephigenia, ejusque memoriam celebrandam, impenderunt. *Fecit ei pater, sicut voverat; vers. 39.* sed quid? sunt qui maestatam illam & ut holocaustum Deo immolatam propugnant, quae opinio, cum multis labore difficultatibus & absurdis quibusdam, inde fluentibus, prematur, nostrum non meruit calculum, cuius rationes Cap. penultimo Libri II. expendimus & refellimus; nos vero sentimus, filiam Jephta ex voto patris nec immolandam, nec re ipsa immolatam, sed Deo ejusque cultui ac piis rerum divinarum meditationibus in vita solitaria fuisse consecratam, quod octo argumentis demonstramus, quibus legitimi voti requisita, cum Jephita voto collata, peculiari capite proximissimus; cuivis argumento explicato statim adversariorum objectiones subjiciuntur, quibus refutatis obstacula, nostrae opinioni objecta, removentur.

Prolixum foret, & Epistolæ modum nimium excederet, si singula, quibus vel nostram roboramus sententiam, vel secus sentientes illam impugnant, vel nos ipsis occurrimus, hic tradere vellem, aut de votis, holocaustis, sacrificio Isaaci, Sacris Molochi, Iphigeniae immolatione, aliisque, quae ex instituto pertractantur, uberiorius agendum susciperem: urgemus potissimum claram & expressam Scripturæ literam, quae ne verbulum defiliae morte habet, sed hanc luctus paterni causam aperit, quod unica fuerit filia, ex qua & praeter quam nullos habuerit liberos Jephta vers. 34. ut stirpis & familiæ interitum tantopere deploraverit; quae vero & qualem voti in filia fuerit executio, Dei Spiritus perspicue indicat: *& fecit ei votum suum, quod voverat, sed quomodo? statim adjicitur וְהִיא רָאֵר עָשָׂה ut ipsa non cognosceret virum vers. 39.* unde filia non

non mortem, sed virginitatem deplorat, non enim, observante R. Dav. Kimchio ad h. l. נְפָשִׁי עַל־בְּחִינָה sed inquit vers. 37. 38. nam sterilitas, quæ virginitatem necessariò comitatur, probro inter Judæos erat, conf. Luc. I, 25. præcipuum à nobis dissentientium argumentum, & in quo potissimum sententiæ ipsorum robur, est, quod vota virginitatis seu cœlibatus, ipsis fatentibus Pontificiis, qui illorum initium ad B. Virginem Mariam referunt, in V.T. planè fuerint incognita; cum enim virginitas perpetua non laudi sed probro fuerit, & sterilitas pro maledictione, seminis vero multiplicatio, Abrahamo promissa, benedictionis loco fuerit habita, non esse verisimile, quenquam per votum cœlibatus hanc seminis multiplicati benedictionem, cuius Judæi studiosissimi erant, impedire voluisse;

Ad quæ prolixè est responsum; Jephæ votum fuisse temerarium, inter Judæos antea planè inauditum & incognitum, unde ad vota ordinaria referri nullo modo possit; tantopere vero luget Jephæ, quia temerario voto benedictionem propagatae ex filia familiæ voto suo interceptam vidit; alioqui omnia hæc, quæ nobis opponuntur τοῖς ἐξ ἑρακλίας objici quoque possunt, cum votum de liberis, Deo per holocaustum offerendis, æquè incognitum & inusitatum Judæis fuerit, (nefanda enim Molochi Sacra Jephæ vir pius non respexit, qui יְהוָה votum nuncupaverat vers. 30. 35. 36.) nec minus multiplicationem prolis impeditivit: multis autem probamus, Jephæm non direcetè vovisse filiæ virginitatem seu cœlibatum, sed illum per accidens in fœminis, DEO ex voto sacris, intervenisse, ne mariti mandatis & negotiis domesticis atque liberorum educatione, quæ fœminis potissimum incumbit, distractæ, à voti executione, piis rerum sacrarum meditationibus, jejuniis & precibus, revocarentur; quæ cùm in viris cessaret ratio, ipsis votum aut nasiræatus matrimonium non vetuit, quod Simsonis & Samuelis, utriusque DEO devoti, nec minus tamen mariti, exemplo docemur.

Præ-

Præterea monemus , nimis confidenter affirmari , votum cœlibatus inter fœminas V. T. planè fuisse incognitum atque inauditum : Guilielmus Perkinsius , Anglus , T. I. Oper. L. 2. Cas. consc. C. 15. col. 35. consuetudinem virginitatem vovendi illis quidem diebus cœpisse asserit , cui se D. Georg. König , Theologus Rostochiensis , Centur. 2. Vindic. Sacr. Disp. 1. Loc. 4. §. 7. opposuit ; cum verò Perkinsius nullum sententiaæ suæ argumentum proferat , nos causam ipsius agentes , ex textus συναφείς ostendimus , verba illa בִּשְׁרָאֵל וַתְהִירֹת קָרְבָּן & fuit mos in Israële , quæ in B. Lutheri nostri , aliorumque version. ad vers. 40. referuntur , & cum sequentibus his conjunguntur : filiæ Israël quotannis irebunt &c. non pertinere ad vers. 40. & conventum filiarum Israël , sed ad vers. 39. ejusque verba antecedentia : & fecit in illa votum suum , quod voverat , ita ut ipsa non cognosceret virum , & fuit (hoc , ut filiæ à se ipsis , Conf. Matth. XIX , 12. vel à parentibus , conf. I. Cor. VII , 37. devotæ , virum non cognoscerent , ab hoc tempore) statutum (mos , consuetudo) in Israël . Ex hebræo textu manifestum , verba illa , & fuit (factus est) mos , ad vers. 39. referenda esse , nam à vers. 40. & conventu puellarum , per accentum Sylluk , maximum inter accentus imperatorem , cum Soph Pafuk separantur , ut versu 40. planè novum quid , quod ad vers. 39. non pertinet , nec per Van copulativum cum ipso cohæret , recitetur , hoc sensu : ex hoc Jephthæ tempore invaluit mos , ut aliorum quoque filiæ DEO , hoc exemplo , consecrarentur ; observavit id quodammodo Clariss. Heinsius , quamvis neglecto accentuationis fundamento , unde L. 16. Exercit. Sacr. in N. T. C. 7. ad Hebr. XI , 32. f. 576. seq. quæ autem , inquit , proximè sequuntur , illa nempe , & in consuetudinem in Israël fuit , hanc sine causa ambigua videntur . Quæ ad sequentia nonnulli referunt : illa nempe , annuatim ibant filiæ Israël , ut alloquerentur filiam Jephthæ cum potius fuisse morem dicat , ut , ex voto consecrata DEO , hoc exemplo , aliorum quoque fuerint filiæ .

Illustra-

Illustramus hac occasione locum Pauli 1. Cor. VII, 37. qui inuenire videtur, parenti licuisse filiam non contradicentem, ceteris paribus, Deo ad virginitatem perpetuam consecrare; quo Iudeis, matrimonii absolutam in omnibus necessitatem ex Gen. I, 28. *crescite & multiplicamini*, urgentibus, se opposuit, dum & vers. 25. de virginibus se non habere praeceptum Domini dicit, scilicet Deum de virginitate vel perpetua servanda vel non servanda nihil in verbo suo præcepisse, adeoque cujusvis id libertati reliquisse, ut nec quæ nubit, nec quæ cælebs permanet, peccet.

Sub Templo secundo integros virorum & foeminarum cœtus fuisse, separantium se à concupiscentiis & negotiis mundi ad colendum Deum & investigandam sapientiam, R. Asariæ testimonio ex Libro ejus. *אָמַר בְּנֵי* Cap 60. ostendimus, quod Hannæ aliorumque exemplo Luc. II. vers. 36. 37. ut & Essenorum, quos *ἀγάπεις* vixisse nemini dubium est, confirmatur; Christi quoque testimonium urgetur, dicentis de sua & præterita ætate, fuisse quosdam, *οἱ οὐρανοὶ ἐννέα κατάστασι* qui castrarunt seipso propter regnum cœlorum Matth. XIX, 12. qui vel ex voto vel sponte, cum dominum castè vivendi haberent, in cœlibatu vixerunt, unde B. Luth. hanc sui castrationem in Glossa margin. per Willige Keuschheit exponit. Josephi silentium parùm hac in re attendendum, aliis exemplis perspicue declaramus.

Ne verò quis, Antiquitatis & Rerum Judaicarum minus gnatus, novitatis nos arguat, producimus D. Friedlibium, Theologum Evangelicum, in Theolog. Exeget. ad Exod. f. 180. a. & D. Dietericum in Antiquit. V. T. f. 202. a. affirmantes, mulieribus piis & rebus divinis se dicantibus, post ædificatum Templum, certam juxta illud sedem, ubi habitarent, fuisse assignatam; quorum tamen assertum in omnibus defendendum minimè nos suscipimus, cum & *virgines conclusas* 2. Mach. III, 19. illuc referant,

C

quas

quas huc non pertinere evidentissimè probamus; ut & B. Virginem Mariam in Templo educatam afferant, in quæ ἀδηλα & ἀπόκενφα de B. Virginis in Templo educatione & cœlibatus voto, quæ à Gregorio Nysseno Sermon. de Natali Virgin. & plurimis Pontificiis Scriptoribus produntur, accuratius inquirentes, illa sic excussum, ut sinceri ex Pontificiis veritatis æstimatores nobis hîc accedere non sint dubitaturi;

Ostensum quoque, iis, quæ circa hanc materiam Casaubonus Exercit. I. ad Apparat. Annal. Baron. C. 21. seq. p. 83. seq. Baronio opposuit, hæc duo tantum probari: 1. non in Templo aut Templi cellulis aut circa Templum habitasse virgines ac fœminas D E O Sacras. 2. Non integras illatum sodalites seu conjunctim habitantium societates sub V. T. extitisse; nemini vero cœlibatus votum usitatum sub V. T. fuisse, Casaubonus evictum nondum dedit.

Ventilamus hac occasione loca Exod. XXXVIII. vers. 8. & 1. Sam. II, 22. ubi mulieres ad oſtium Tabernaculi ministrasse leguntur, quod Hannæ exemplo declaratur Luc. II, 37. quale vero istud ministerium fuerit, & num fœminæ sub V. T. ministeriis Tabernaculi & Templi sint functæ, uberiori disquisitione non indignum judicavimus, accuratius examinantes locum Nehem. VII. vers. 67. de Cantricibus, quas personas Ecclesiasticas fuisse admodum probabile reddimus.

Enim vero, ne quis putet in gratiam aliorum, qui virginitati nimium tribuunt, hæc nos proferre de cœlibatus voto sub V. T. novem solidis argumentis demonstramus, ex hac nostra sententia nihil præsidii aut patrocinii accedere votis cœlibatus, qualia apud vos in Papatu vigent, quorum quædam, cum καὶ ἀνθεωποι & ex vestra de promta sint hypothesi, firmius stringunt. Illos quoque, qui ex Jephta, ejusque filiæ, quam fingunt, immolatione, typum

typum Christi, à Patre cœlesti in mortem pro nobis traditi, eruere  
conantur, hallucinari docuimus.

Amolimur etiam suspicionem S. Augustini, Hugonis de S.  
Victore, Hugonis Cardinalis aliorumque, suspicantium, fuisse  
Jephæ vetulam uxorem, hanc consueta mulieribus curiositate sti-  
mulata primū sibi obviam fore Jephiam sperasse, quam DEO  
immolare vellet; impium rati, tale quid de sancto hoc viro suspi-  
cari, qui, si juvenculæ amore & desiderio captus fuisset, unam  
vel plures vetulæ suæ superinducere potuisset, vigente inter He-  
bræos polygamiæ usu, cuius exemplum Gideon, Jephæ in Prin-  
cipatu antecessor, ipsi præbebat, quem *polygamum* fuisse Scriptura  
affirmat Judic. VIII, 30.

Urgemus difficultates, quibus immolationis sententia pre-  
mitur, quis ipsam immolaverit? patrem illud per *soȝyn* & amo-  
rem naturalem non voluisse, & si maximè voluisset, id ipsi mini-  
mè licuisse probamus, cum ad altare Dei accedere nemini præ-  
ter Sacerdotes & Levitas, fas fuerit, Saul verò Sacrificans  
1. Sam. XIII, 9 seq. & Uſias Rex suffitum facturus 2. Chron. XXVI.  
v. 16. seq. graves Dei pœnas commeruerint; quam periculosum  
sub V. T. fuerit, res sacras temerè tractare, Uſas docet exem-  
plum, qui, cum nec Sacerdos nec Levita esset, manum Arcæ fœ-  
deris, quod Sacerdotum tantum & Levitarum erat, admoveere  
ausus, statim à Deo percussus exspiravit 2. Sam. VI, 6. 7.

Quis verò ex Judæis credi potest, Sacrificium à Deo ex-  
pressè prohibitum, obtulisse? quemnam Sacerdotum filiam ad  
ostium Tabernaculi maectare, sanguine ejus altare conspergere,  
corpus in frusta concidere, concisa lavare, lota altari Dei impo-  
nere & imposita igne sacro comburere, aufum putabimus? quæ omnia  
tamen in holocausto requirebantur; num Sacerdotem Summum,  
sive is Pineas, quod Judæi tradunt, sive quicunque alias fuerit, id

20

permissum verisimile? num seculum illud tam rude censem, ut in toto populo nullus Sacerdos, nullus Legisperitus, nullus vir pius extiterit, qui interfecto duorum mensium intervallo Jephtham ignatum doceret, filiam non esse objectum holocausti, DEUM expresse sacrificia humana prohibuisse Deut. XII, 31? nam Abrahami, filium Deo immolaturi, exemplum emulari Jephtham non potuisse, demonstramus. Aut num contumaciæ accusabimus Jephtham, quod saniora suadentes non admiserit, qui tamen vel maximè filiam vivere cupiebat? quam enim honoris item & contestationem inter Jephtham Principem & Pineam Sacerdotem summum Judæi fingunt, quorum neuter alterum prior, ut votum solvere, convenire voluerit, explosam dedimus.

Sed nec primitivæ Ecclesiæ Patrum autoritatem, qui opus Iudaicæ omnes filiæ immolationem statuunt, hic magni faciendam ostendimus, cum litis decisio ex Philologia & Linguæ Hebraicæ, cuius illi, si Origenem cum Hieronymo excipias, ignari & rudes fuerunt, peritia pendeat; quibus doctissimos Theologos & Philologos, qui à nobis stant, magno numero opponimus.

Verum vela hic contrahenda, omnia enim, quæ prolixè disputata, fusi proferre Epistolæ institutum & ratio non permittit, sunt plurima lectioni ipsius libri, (qui partui maturus est, nec nisi proelium Typographi expectat) futuris mundinis autumnalibus B. cum D. prodituri, reservanda; Unicum adhuc restat, quod silentio hic præterire, fas minimè duxi, agmen Libri II. claudere Ludov. Capellum, virum inter Reformatos doctissimum; hic, perspectis difficultatibus, quibus sententia de filiæ immolatione urgetur, nec alteri tamen de consecratione opinioni accessurus, tertiam & ab utraque diversam commentus est, scilicet, Jephthæ filiam, non ut holocaustum Deo super altari immolatam, sed per **Den** seu anathema ex Levit. XXVII, 28. 29. tantum occisam & concrematam fuisse, vel à patre ipso, vel à quocunque alio, non ad ostium Tabernaculi, sed alibi;

Verum

Verum opponimus : hac ratione Jephtham non posse dici ,  
fecisse votum vers. 39. cum non simplicem occisionem , sed שׁלֵחַ holocaustum voverit vers. 31. quod ad ostium Tabernaculi jugulan-  
dum , in frusta concidendum , & super altari Dei igne sacro combu-  
rendum erat ; accedit , quod votum expressè נָגַר votum simplex  
apelletur vers. 30.

Supponit quoque Capellus , quæ nunquam probare poterit ,  
quæque à nobis discussa sunt : 1. Homines quosvis potuisse per  
דְּבָרָן seu anathema Deo ad mortem devoveri , ita ut , non va-  
lente redemptione , occidendi fuerint , ex Lev. XXVII, 28. 29.  
cum tamen lex illa nonnisi de Cananæis , aliisque populis , ab ipso  
Deo neci destinatis , quales e. g. Amalekitæ erant , quorum Regi  
Agag in tempestiva clementia pepercera Saulus r. Sam. XV, 14. seq.  
ut & de maleficiis , à Magistratu damnatis , agat . 2. Parentibus  
ac Heris in V. T. jus vitæ & necis in liberos & mancipia fuisse ;  
quod & Bodinus L. I. de Republ. C. 4. p. m. 34. affirmat , atque ,  
ut jus illud Parentibus & Heris restituatur , magnoperè cupit :  
sed parum sibi constat Capellus , & aliquoties contradicit , totque  
limitibus & cancellis jus hoc circumscribit , ut post multa verba in-  
fine nihil dixisse reperiatur.

Ad Librum III. jam devolvimur , qui FACTVM Jephthæ  
memorabile contra rebelles populares Ephraimitas exponit ; ini-  
tium sit à molestiis & periculis , quibus Jephthæ principatus cin-  
ctus fuit , cum seditiones eorum Ephraimitarum rebellio novum Ptinei-  
pem exceperit , cuius litem & disceptationem cum Ephraimitis ,  
horumque convitia , quibus Jephtham ejusque Gileaditas , more  
muliebri , nec viris fortibus digno , profundere veriti non sunt ,  
explicamus ; sed cum Ephraimitarum furor intra verba non subsi-  
steret , ad verbera & cruentum bellum civile perventum , atque  
magnis utrinque animis præcium commissum est , quo Jephtha vi-  
ctor extitit , eujus hinc causam iterum agere & verba pro eo facere

tenemur, ut nobilissimum ac fama rerum gestarum clarissimum Ducem vindicemus ab iis, qui durius de ipso opinati, quod victoriæ gloriæ fævitiae & crudelitatis macula infuscaverit, ob 42. milia Ephraimitarum, sine venia miserè trucidatorum, cum meminiisse debuisse Jephtha, civium illam non hostium esse aciem; sic Dav. Chytræus sentit Comment. in Jud. p. 345. seq.

Sed nihil vitii in Jephtha esse perspicuè probamus, non enim prior ille bellum intulit, sed sibi deprecanti temerè & injustè illatum repulit; nec ut milites, sed tanquam rebelles, quin latrones & incendiarios Jud. XII, 1. eos punivit; Evidet non dubitandum, in tanto occisorum numero non paucos fuisse viros bonos & minus noxios, qui vel inviti, vel reliquorum autoritatem secuti, arma arripuere, quibus parcere æquum omnino videtur; Verum securitati Principis & saluti publicæ severiori exemplo consulendum erat, ne imposterum alii Remp. turbare, ejusque tranquillitatem seditione interpellare auderent; atque apprimè huc C. Cassii dictum quadrat apud Cornel. Tacitum L. 14. Annal. C. 44. *Habebat aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur;* ad quem locum Forstnerus in Notis p. m. 53. Multa, inquit, summis Principibus conceduntur pro salute publica, quæ privatis minime licent; quis vero Princeps convitia rebellium populatium, quæ acrius quam gladii pungunt, clementiâ excipiet? Regum ducumque clementia, non in ipsorum modo, sed etiam in illorum, qui parent, ingenio sita est. Obsequio mitigantur imperia. Ubi vero reverentia excessit animis, & summa imis confundimus, vi opus est, ut vim repellamus, quod prudenter monet Alexander M. apud Curtium L. 8. C. 8. §. 8.

De testera quoque militari Schibboleth, qua Ephraimitæ, tribum dissimulantes, agniti sunt, actum, nec non ventilatum, quibus Jephtha imperaverit? an solis Gileaditis? num vero toti Istraëli? quod posterius propugnamus; tandem, quæ rerum & actionum humanarum ultima esse solet linea, ad beatam Jephthæ mortem

tem & honestam sepulturam descendimus , explosis Judæorum fabulis , quas de miro & misero mortis & sepulturæ ejus genere confingunt , ipsum ob filiam occisam grayi ulcere à Deo percutsum , per urbes Gilead profectum , in quarum singulis membrum aliquod , ulceribus à corpore divulsum , terræ fuerit mandatum , quod ex Jud. XII. 7. ut quandoque lepidi sunt Scripturæ interpretes , eliciunt , ubi Jephtha dicitur sepultus בְּעַרְיָה גִּלְעָד in urbibus Gilead , quod tamen idem esse ac , in una urbium Gilead , ex Lingua Hebr. genio , similibus Scripturæ S. exemplis , & R. Dav. Kimchii , aliorumque doctiorum Rabbinorum , testimonio demonstramus .

Colophonem operi imponit ultimus honos , Jephitæ post pia fata habitus , cuius fortitudinem Spiritus S. per sacrum & θεοπνευσόν historicum Jud. XI. 1. atque per Samuelem i. Sam. XII. v. II. & fidem per Apostolum Hebr. XI. 32. prædicat ; cui quasi concionem funebrem habuit S. Athanasius ; Jacobus Salianus magnificum posuit Epitaphium ; Nicolaus Serarius verò invocationis decernit honores , quem Comment. in Jud. quæst. 4. in C. 12. f. 348. consueta vobis formula salutandum pronunciat : S. Jephæ ora pro nobis !

Hoc , Rev. Pater , totius operis κεφαλαιώμα & breve compendium tantisper tibi exhibere , & desiderio tuo vel satisfacere vel majori illud stimulo excitare visum est , dum ipsius operis lectione , quæ nosse cupis , plenè percipere poteris ; Constitueram quoque de gravissimo Judæorum peccato agere , ob quod Templo destructo & Republ. excisa , à Deo rejecti & per orbem dispersi , tam diuturno , nec unquam finiendo exilio premuntur ; tibi enim quid de eo sentiam , aperire promiseram ; sed cum materia , præter spem , sub calamo excreverit , id commodiori occasione reservandum judicavi , ne Epistolæ limites , quos jam ferè translīi , nimium excedam ;

Ignosce , Rev. Pater , prolixioribus literis , quibus Musas tuas , gravior-

gravioribus fortassis negotiis occupatas, interpellavi, nam & animos, quos fures temporis proverbium appellat, aliquam nostri partem sibi vindicare, illamque jucundis colloquiis plerumque impendere, non ignoras; prolixiori affectu quam sermone me uti persuadum teneas, nosti enim, rem tibi esse cum homine, qui sine fuso, quæ sentit, aperit, quique sinceræ amicitiaæ laudem ubique venatur; diversa, quam profitemur, sacra, amicitiam nostram non turbabunt, non religione, sed amicitia & amplissimo affectu te metior, qui conscientiam Deo servari scio. Servet te Deus, Clarissime Kho-balte, Tibi Tuisque, quin & orbi literato, cui ornamento es, quam diutissimè in columem, meque, ut cœpisti, amare persevera, quem sine fuso & ex animo tui studiosissimum Cultorem scias.

Vale. Dabam Francofurti ad Mœnum, pri-

die Kalend. Mart. A. O. R

MDCL

*Corrigenda.*

p. 9, l. 13. leg. Jephtha. p. 13. l. 21. leg. potuisse. p. 24. l. 7. leg. qua.










Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn889765456/phys\\_0031](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn889765456/phys_0031)







the scale towards document

( 23 )

sepulturam descendimus , explosis Judæorum fa-  
ro & misero mortis & sepulturæ ejus genere con-  
filiam occisam gravi ulcere à Deo percutsum , per-  
etum , in quarum singulis membrum aliquod , ul-  
divulsum , terræ fuerit mandatum , quod ex Jud.  
doque lepidi sunt Scripturæ interpretes , eliciunt,  
ir sepultus בָּעֵר גְּדֻעַן in urbibus Gilead , quod ta-  
, in una urbium Gilead , ex Lingua Hebr. genio,  
æ S. exemplis , & R. Dav. Kimchii , aliorumque  
inorum , testimonio demonstramus .

em operi imponit ultimus honos , Jephæ post pia-  
nus fortitudinem Spiritus S. per sacrum & Geo-  
rum Jud. XI , i. atque per Samuelem i. Sam. XII.  
r Apostoluni Hebr. XI , 32. prædicat ; cui quasi  
ebrem habuit S. Athanasius ; Jacobus Salianus  
uit Epitaphium ; Nicolaus Serarius verò invoca-  
nores , quem Comment. in Jud. quæst. 4. in C. 12.  
obis formula salutandum pronunciat : *S. Jephæ ora*

Pater , totius operis κεφαλαιώματα & breve com-  
per tibi exhibere , & desiderio tuo vel satisfacere vel  
nulo excitare visum est , dum ipsius operis lectione ,  
plenè percipere poteris ; Constitueram quoque de  
eorum peccato agere , ob quod Templo destructo  
sa , à Deo rejecti & per orbem dispersi , tam diutur-  
finiendo exilio premuntur ; tibi enim quid de eo sen-  
tiorum promiseram ; sed cum materia , præter spem , sub-  
erit , id commodiori occasione reservandum judi-  
colæ limites , quos jam fere translī , nimium ex-

Rev. Pater , prolixioribus literis , quibus Musas tuas ,  
gravio-